

de PARTEM DEI vocant hominem Theosophi, quique adeo ex suæ essentiæ penetralibus suam sibi salutem accersere & procurare possit. Abyssus hæc Deismi fanatici meretur notari: Nimirum opus salvationis æternæ ita coarctatur, totumque situm putatur in grano quodam insito, quod fidei extrinsecus ascitæ opponitur. Scintillula hæc, animabus omnibus implantata. Medicina morborum nostrorum, ex proprio cujusque sinu depromenda, suppeditatur: quandoquidem Adamus fuerit Θεάνθρωπος, & Deus per contraria in nobis agat in opere conversionis; humana autem voluntas in hoc principiorum, divini & humani, contentione ferat decisum. PASSIVÆ ORATIONIS, non sensu orthodoxo, verum Pseudomystico, accepta notio, jamdum uberius declarata, insinuat statum suspensionis ac ligaturæ potentiarum & facultatum intellectualium, quo v. g. omnia ne quidem per concursum supernaturalem producit, verum saltem in sinu seu gremio suo produci admittit actus discursivos & appetitivos, idque sine omni sensuum operatione, ita, ut ne quidem æternam a Deo salutem petat. PERFECTISMUS DEIFICATORIUS. Coincidit quodammodo cum Absolutismo, superius sub vocabulo Beatitudinis exposito, & est finis Theosophiæ Mysticæ. Discipulus ejusdem scilicet ad tam sublime fastigium evehi posse creditur, ut voluntas ejus in summo gradu deificetur, & ipsissima voluntas Dei evadat; quique adeo hunc perfectissimi statum attigerit, eum impeccabilem reddi, & amplius proficere non valere, statuitur; qui error fuerat Beguardorum; imo eundem plane non debere curare peccata externa, quæ Satan in carne sua exerceat, neque cogitationes impuras, quas in semet persentiscat; omnia enim hæc esse adminicula Perfectionis. En tibi ergo Pseudomysticismum, cum Atheismo conjunctum! PERRUPTIO, der Durchbruch / in quo termino magnas sibi delicias faciunt scholarum istarum amasii. Seductionem videlicet ab orthodoxia ad heterodoxiam, & motum animi, quo illa sit facta, hoc condecorant nomine, opus Satanæ manifeste Deo tribuentes, & hunc errorum suorum crassissimorum atque gravissimorum causam constituentem. Ab eo inde usque momento